

Dissertatio solennis medica de quinquina Europaeorum / [Karl Helwig].

Contributors

Helwig, Karl, 1682-1716.

Helwig, Christoph, 1679-1714.

Ernst-Moritz-Arndt-Universität Greifswald.

Publication/Creation

Gryphiswaldiae : Typis Danielis Benjaminis Starckii, [1712]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k7w82dj8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Lxxvi Fra

DISSERTATIO SOLENNIS MEDICA
DE

QVINQVINA
EUROPÆORUM,

Qvam

Favente Summo Numine

Aique

Amplissima & Gratiolissima Facultatis Consensu,
PRÆSIDE

Rectore Magnifico,

VIRO Nobilissimo, Excellentissimo atqve Experientissimo,

**DN. CHRISTOPHORO
HELVIGIO,**

*Med. Doct. & Profess. Publ. Ordin. Facultatis suæ
SENIORE & h. t. PRO-DECANO,*

*FRATRE SUO GERMANO,
PRO LICENTIA*

*Summos in Arte Medica Honores & Privilegia Docto-
ralia capessendi, publico & placido Eruditorum
Examini sistit*

CAROLUS HELVIGIUS, Gryphisw.

Die Mart. Anno 1713.

H. Lø C

GRYPHISWALDIAE,

*TYPIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
REG. ACAD. TYPOGR.*

28,240/B

DEO
ET
PROXIMO.





PRÆFATIO.

Ogitanti mihi de themate hujus Dissertatio-
nis, diu animus bærebat, annon magis con-
ducere possit, novum forsan ex Indiis alla-
tum remedium, quam domesticum bucusque
peregrinis postpositum pro viribus defenden-
dum eligere. Perversus enim ille cum Vulgi
tum nonnullorum Medicorum mos obtinuit, ut è regionibus
quam dissitis allata medicamenta suspiciant & venerentur,
despiciant verò ea quæ terra nostra profert; sicq; Naturam ut
iniq; Matrem accusant, qvod ad conservandam vitam ido-
neorum medicaminum neglexerit proventum. Sed actum esset de
curationis spe, si ab ultima Thule pro nostratis curandis mor-
bis exotica spectaremus præsidia, quæ subdolus, quæstus libidine
allectus, in nostras, magno cum nostro impendio, oras asportat
Mercator. Profecto ubique terrarum vel in mineralibus, plan-
tis aut animalibus summe virtutis latitant medicamenta, qui-
bus grassantes illis in regionibus morbos curare valet Medicus.
Itaque cum & hic locorum tanta salubrium medicamentorum
reperiatur ubertas, malui potius Hominum quam Naturæ odium
incurrere, dum corticem Fraxini, Qvinqvinæ Europæo-
rum nomine insignitum, hæc vice considerare, ejusque vir-
tutes & usum deprædicare placuit. Tuum jam erit L. B. de
iis judicare, attamen placido ut omnia intueri oculo & finem
mibi propositum respicere velis, etiam atque etiam abs te peto.

A

§. I. Ante-

§. I.

ANtequam de *Kin Kina Europeorum* agere incipi-
am, de *Americanorum* qvædam præmittere non
ingratum fore judicavi.

§. II.

Nomen autem qvod attinet, varium illud depre-
hendimus, neqve de Etymo Autores inter se conve-
niunt: Aliis dicitur *Kin Kina*, *Kina Kina*, sive, qvod
idem sonat, *Qvingvina*, qvi derivant à voce *Qvina*, qvæ
lingva Peruviana significat *Febrim*. Aliis *China China*,
voce duplicata, qvi volunt distinctionis saltem gratia
à *china radice* ita nominari; item *cortex chinensis* à *China*
regno Indiae orientalis, sed falsò, qvoniam hujus loci
indigena non est. Arbor hujus corticis vocatur *Ganna-
peride*, *Chinanepide*, *Guananepide* & *Guananegide*; etiam *Qva-
range*, qvo & arborem & corticem Incolæ Regni Peru-
viani indigitant, uti refert *Casp. Caldera de Heredia Illustr.*
& *obseru. Med. fol. 156*. Sed qvum barbaræ hujus lingvæ
nullatenus gnarus sim, in derivando originem harum
denominationum parum sollicitus ero. Priorem itaq;
derivationem, utpote qvæ magis ad rem præsentem
faciet, retinebo, est nempe desumpta ab effectu & vir-
tute, qvam possidet, specificâ in curandis febribus;
inde factum, qvod *Hispanis* dicatur *Palo de Calenturas*,
i.e. *Lignum antifebrile*, item *Cortex febrifugus*, *peruvianus*,
antiqvartium peruvianum, à primo hujus solummodo in
qvartanis usu.

§. III.

Et *Cortex* hic crassitie variâ, foris scaber, passim
exili musco canescens, substantiâ compactâ, intus lævis,
colore

colore ferrugineus, qvalis est Cinamomi, in sole splen-
 dente micans, sapore amarus & terreis admixtis par-
 ticulis austerus & adstringens. Qvalisnam arboris
 spolium sit, nondum certò constat, & mirandum sanè,
 de medicamento Lippis atqve Tonsoribus qvam no-
 tissimo, Autores tamen inter se altercari. Joseph. Don-
 zellus in *Theatr. Pharmac.* frondes hujus arboris peruvia-
 næ foliis Pruni rubeæ assimilat, flores ex albo & cæ-
 ruleo mixtos mali punicæ floribus, fructus vero car-
 damomo similes facit, qvalem figuram etiam depingi
 curavit; cum qvo convenit nota illa characteristica,
 qvæ exstat apud *Dale pharmacol. s. pag. 371.*, nisi qvod
 fructus seminibus cucurbitæ similes afferat. His qvo-
 ad flores & folia simillima est descriptio, qvam tra-
 didit nobis *Tournefort de Mat. Med. pag. m. 342.* Version.
 anglie. (nam liber iste aliō Idiomate hactenus, qvod
 scio, nondum typis extat) hisce verbis : *The leaves of
 this tree, are like (as they say) the leaves of red plumb-tree,
 and the flowers are like those of pom granate tree.* h.e. Folia
 hujus arboris (ut fertur) similia sunt foliis pruni ru-
 bentis, flores mali punicæ floribus. Hermannus in *Cynosur.*
Mat. Med. ab Henningero edit. dicit, qvod sit arbor pro-
 cera, craffa, tiliæ instar, baccifera. Jonst bonus in man-
 tissa sub finem *Hist. Arbor.* aliam à priori plane diversam
 suppeditat figuram, magnitudine cerasum æqvat, & fo-
 lia juniores qvercum æmulantur, cujus fructus itidem
 cum glande aliqualem gerit similitudinem. Dn. Pomet
 accuratissimus ille simplicium indagator aliam adhuc
 iconem his tradit verbis. *Histoire des drogues simples. pag.
 m. 132.* Cet arbre est à peu près de la grandeur d' un Cerisier,
 il à les feuilles rondes & dantelées, porte une fleur longue &

rougeatre, d' où nait une espece de gousse, dans la quelle se trouve une graine faite comme une amande, platte & blanche revêteue d'une legere écorce. Sed litem hanc non facio meam & parum refert, utrum Ceraso, Pruno, Qvercui vel Fraxino ipsi figurâ isthæc arbor dicatur similis; mihi impræsentiarum sufficit, qvod cortex fraxini se cum peruviano virtutibus exæqvæt. Interim tamen maximam partem consentiunt de solo Arboris istius natali, qvod dicunt Peruviam Americæ regnum & qvidem regni hujus provinciam Quito dictam, prope urbem Loxam in montibus, ubi maxima ejus copia. Vid. Pomet, Dale, l. c. aliqve. de cuius primis Inventoribus & Propagatoribus pauca in seqventi §. addam.

§. IV.

Ante sexaginta nimirum, & plures jam annos vix innotuit Europæis hoc medicamenti genus, ac primum prodiit nomine *pulveris Jesuitarum sive Patrum*. Hi enim usum ac vires hujus corticis singulares Europæis primi patefecere, & è regno peruviano reduces circa annum 1649. Romam detulere, cuius in memoriam iconem Qvinquinæ in Collegio suo suspensam peregrinantibus curiosis ostendunt in hunc usq; diem. Anno seqventi, ut vult Pomet, pulvis hic quoq; in Galliam primum à Cardinale de Lugo Jesuita Hispano, cum è Peruvia rediisset, asportatus est. Sed diu latuit sub tecto hoc nomine usq; ad *remedium illud celebre Dn. Talbot. Medici Angli*, qui vocatus ad curandum Delphinum Galliæ febre laborantem, Regi arcannum hocce de Qvinquina ejusq; legitimam præparandi methodum revelare coactus fuit, pro qua revelatione Rex ille munificentissimus duo millia nummorum

rum aureorum sic dictorum *Louis d'or* (qvod 9333 thaleros excedit) & bis mille florenorum gallicorum annuos redditus ad dies vitæ ipsi donavit, & adhuc illi soli hoc medicamentum distribuendi licentiam concessit, econtra sub pœna gravissima omnibus aliis Galliae Medicis eā interdixit. Interim tamen Anglus semper veritus, ne arcanum indies notum fieret, qvid in celebrioribus Franciæ urbibus nancisci potuit hujus corticis emere ac clam subducere conatus fuit, qvo factum, ut illius inopia apud Aromatopolas fere omnimoda fuerit, sicque ingentes sibi comparaverit divitias; unica enim dosis Parisiis aureo nummo pendebat, & libra centum aureos pretio exæqvabat, qvemadmodum à fide dignis Medicis Parisiis mihi enarratum accepi.

§. V.

Facultates Qvinquinae qvi ex priscæ medicinæ principiis exploravere, corticem hunc calidum & siccum initio secundi gradus dicunt. Recentiores Medici pro diversis qvas fovent de febribus hypothesibus, diversimodè ejus naturam explicant. Alkalinæ indolis volunt corticem, qvi acidum ut universalem Febrium causam incusant, putantes ab alkalino medicamento motum acidi febrilis fisti, sicque *Tachenius* omnia Acido & Alkali venditat in suo *Hipp. Chym.* vid. *Dn. L'Emery cours de chymie, &c.* Clarissimus *Willis* qvi fermentationis M. S. in febribus Autor existit, pro supprimendis fermentorum præter naturalium viribus qvam maxime laudat, qvæ actu (uti loquitur) amara sunt, qvapropter amaritudinem cum stypticitate qva **Cortex peruvianus** pollet, illis alexipharmacis affi-

milat, qvæ olim adversus febres adeo decantata fuere
e. gr. rad. gentian, serpent. contrayv. &c. Vid. ejus
Tract. de Febr. pag. m. 156. Ast cum *Willisio* ab aliis iam
satisfactum sit, nullas fermentationes in M. S. dari,
nam omnia viscida & oleoginosa fermentare nequeunt,
neque M. S. ob perpetuam circulationem fermentati-
onis capax est, seqvitur qvod febrifugum hoc virtu-
tem suam alio modo exercere debeat; & Autor ipse
fatetur l.c. vim sive operationem *Qvinqvinæ* sine ulla
evacuatione fieri, qvod contra tot observationes de
modo agendi Alexipharmacorum..

§. VI.

Nihilominus in hoc cum Willis Doctores conve-
niunt, qvod ob particulas amaras atque austeras, qvi-
bus cæteras copia superat, incidendi & adstringendi
vim huic Cortici adscribant, & revera in his duabus
proprietatibus recte proportionatis latet, qvicquid
maxime admirandum continet illius operatio, prout
in sequentibus plenius constabit. Atque ex hoc
fundamento est, qvod in me suscepimus aliud qvod-
dam febrifugum domesticum substituere peregrino,
nempe *CORTICEM FRAXINI*, qvi, qvum non minorem
possideat vim in debellandis febribus, omnino mere-
tur, ut *Qvinqvinæ Europæorum* nomine illum insigniam.
Corticem cum cortice commuto, amarum cum amaro,
stypticum seu adstringens cum alio ejusdem indolis,
febrifugum illud specificum Americanorum cum hoc
Europæorum..

§. VII.

Est itaque Fraxini excelsioris C. B. pin. 416. Cor-
tex foris scaber, crassitie non determinata, cinereus
ac musco

ac musco obductus, intus lignosus ex albo flavesiens, in sole micans, sapore amarus cum adstrictione. Arbor ob magnitudinem suam eximiam, amoenitatem frondium & umbram æstuanti corpori gratissimam fere reliquis arboribus præfertur, id quod Poëta confirmat Eclog. VII. *Fraxinus in Sylvis pulcherrima*; unde & ex antiquitate temporum constituta in locis publicis & ante ædes plantari solet, sicutque per se satis nota; interim tamen ejus characterem Botanographorum more apponere è re fore existimo.

§. VIII.

Fraxinus est plantæ genus flore apetalo, cuius stamina gemino plerumque apice donantur, è quibus surgit pistillum, quod dein abit in fructum linguisiformem, planum, membranaceum, semine foetum ejusdem pene formæ. Vid. Tournefort. *Instit. R. H.* pag. 577. Clarissimus Rajus *Synops. method. Stirpium Britan.* pag. 311. in Notis, quas Fraxino singulares vult, etiam corticem cinereum & folia pinnata bina adversa addidit. Verum si in constituendo charactere plantarum nulla alia nota admittenda est, quam quæ certa & à reliquis distincta generibus, unicuique facile videre licet, hanc ab ipso exhibitam notam adeo accuratam vix haberi posse, quatenus in cortice & foliis cum aliis quamplurimis convenit.

§. IX.

Vocatur Fraxinus *Offic. Matthiol. Cast. Durant. Lon. Dod. Lob. Tab. Trag. Brunsfels. vulgaris Parkins. Gerard. vulgatior J. B. t. I. L. 8. excelsior C. B. p. 416. vel ab antiquo frageo, flecto, frango; quoniam in teneris annis*

annis facillimè cedit, & in proiectiore ætate, ob fibras
rectilineas tunc rigidissimas *fragilis* sive *divisibilis* est ;
vel ut aliis placet à Virtute ejus singulari, qvam in
frangendo & *commixando* *calculo* possidere creditur ; aut
forsan à solo natali qvod *fragosis* locis gaudere soleat.
Nonnulli vocem à verbis græcis Φραγτής & Φρεγυμός
derivant, qvod ad sepiendum idonea : Sic videmus
Rusticis qvam aptissimum esse lignum fraxini cum
teneris ramis ad sepimenta & alia viminei generis
utensilia ac Instrumenta facienda. Græcis dicitur
μελία, ἀπὸ τῆς μελιᾶς, ab hasta sive lancea, qvōd Militi-
bus propter truncum perpendicularē non solūm, sed
& ob rigiditatem ad hastas inde faciendas in usu fuit
& adhuc manet. Unde Homeri præconio & Achillis
hasta sat nobilitata, ut inquit Plinius. Porrò *melea* sive
milia trinoides appellatur ab Hermolao Barbaro, Βγυελία
Macedonum Plinii à *Lugdunensi*, qvod alii per bovis
fraxinum interpretantur, sed minus rectè, particula
nempe βεργία per se nihil significat, nisi qvod in compo-
sitione voces augeat, sicq; nihil aliud significat qvam,
qvod ab aliis legitur, πολυμελία, grandior fraxinus. Ger-
manis audit *Eiche* / *Eschern* cum è simplici, vel etiam
cum diptongo *Aschern* / *Aeschbaum* à colore cinereo,
qui in juniorum corticibus satis appareat : Unde &
apud antiquiores legitur *Aschbaum* l. *Asch* κατέξεχην.
Idem sonat Anglis *Asch-Tree*, belgicè *Eschen*, nostris
Taag-·Eschen / ad differentiam *Fuel-·Eschen* / qvæ est
populus nigra, vocatur etiam germanicè *Malbaum*/
Wund-·Holz / qvia ad vulnera consolidanda lignum
egregium, ad qvorum imitationem *Fieber-·Rinde*
Cortex appellari commodè potest.

§. X.

Theophrastus *Hist. Plant. Lib. III. Cap. XI.* duas Fraxini saltem species reperiri, memoriae prodidit, altera est excelsior, quam modo descripsi, altera vero humilior foliis laurinis latifol. Plinius quatuor constituit species, *Hist. Nat. Lib. 16. Cap. XIII.*, Matthiolus *Comment. in Diosc. Lib. 1. Cap. CXII.* *QUATUOR* alias recenset, & sic reliqui plures. Ex quibus appareat, quod, cum Veteres Botanici in constituendo charactere Plantarum parum vel nihil folliciti essent, vix aliter fieri potuerit, quin modo has, modo illas, diversi licet generis, plantas cum invicem commutaverint, & uno eodemque nomine insigniverint, quod ex diversimoda Autorum synonymia satis elucet. Dn. Journef. juxta characterem constitutum *QUINARIUM NUMERUM* haud superare Fraxini species huc usque notas affirmat. Sunt autem (1) *Fraxinus excelsior* C. B. P. (2) *Humilior sive altera Theophrasti*; (3) *Rotundiore folio* C. B. P. (4) *Florifera Bstryoides Moris. sive americana florida* H. R. P. (5) *Orientalis longissimo folio profunde serrato Coroll.* Ex his prima saltem species est, cuius vires ulterius explorandæ venient.

§. XI.

Veteres, in explicandis virtutibus medicamentorum simplicium, semper vel ad qualitates suas occultas, aut temperamenta unicuique corpori insita respiciebant, unde & vim Corticis fraxini, temperamento ejus, quod calidum & siccum primo gradu dicebant, attribuere. Ex quo statim in initio videri potest, quam accurate conveniat Cortex hic cum americano; Recentiores, qui vel ex figura & colore vel è qualitatibus ut dicunt tactilibus, aut ex odore & sapore vires medica-

mentorum indagandas censem, non minorem horum
Corticis convenientiam demonstrant. In *Figura extera* adeo similes sibi videntur, ut nisi in cognoscendis simplicibus exercitatus facile decipi possit, cum primis si naturalis discriminis vitium arte compensatur. Color in utroque cortice cinereus cum sit in externa superficie, in interiori substantia paululum discrepat. Fraxini enim Cortex naturaliter, & absq[ue] accessa astutia mercatorum, intus ex albo flavescit, Peruvianus vero ejusdem cum Cinamomo coloris, uti ex superiori constat. Qvam infirmo autem haec virtutes simplicium cognoscendi methodus nitatur fundamento, alibi ad naufragium demonstratum reperitur; adeo ut parum, vel nihil imminuere possit vires Corticis Europaei discrepantia illa exigua, qvæ huic cum Peruviano intercedit, ac satis est, tales proprietates utriusque communes inveniri, qvæ in cognoscendis simplicium facultatibus, majus lumen nobis afferre, certioresque nos reddere possunt.

§. XII.

Qvoad modum tactus organum afficiendi varium
sive sic dictas *Qualitates tactiles*, retrospiciendum saltem ad illas, qvas in utriusque definitione expressi. Sunt enim Cortices hi vel mediocris vel magnæ aut parvæ crassitie, ita proætate non solum sed & pro parte arboris, cuius spolium sunt, variantur. Convenienter itidem in densitate, duritate & gravitate, atque haec qualitates adeo sibi invicem affines sunt, præprimis in plantis, ut vix altera ab altera separata dici queat; qvod unicuique videre licet, cum in his Corticibus, tum ejus ligno, Gvajaco, Buxo, Brasilio &c.

Atque

Atque ejusmodi Plantæ graves ac densæ multum Spiritus acidi & alkalici destillando exhibent, econtrà qvando leves evadunt, v. gr. lignum putre, qvamvis incineretur, nullum sal inde elici potest, vel paucissimum, teste experientiâ ; Confer. *Svalvo de Acid.* & *Alkal.* pag. m. 143. *Tachenius Hipp. Chym. Cap. 21. item Hellmont. Tr. Blasbum.* §. 38. seqq. Qvatenus Sal fixum seu lixiviosum, dum lignum reseratum est & putrescit, ex cineribus ejus non concrescit, sed particulæ ejusdem dissolvuntur, suiçjuris fiunt, & in auras abeunt. Abundant itidem plantæ duræ multis particulis terrestribus, unde copiosum sal fixum cum terra & austritatem arguunt; ex sicco enim & terrestri durities procedit; qvamobrem insigni & absorbendi & adstrin-gendi vi pollent.

§. XIII.

Diversus ille *Odorem* percipiendi modus, qvô organum nostrum olfactorum afficere solent simplicia, ut plurimum certissimos nos reddit, de virtutibus eorum juxta particulas contentas rectè dijudicandi. Nam ex fragrante aut graveolente odore statim arguere possumus, tales particulas adesse, qvæ volatiles ac subtile sunt, unde etiam à Chymicis Θin. volat. & ♀eæ indolis dicuntur. Discrepantia hæc inter frangans & graveolens dependet faltem, uti ex Physicis constat, à diversitate vel magnitudinis, figuræ, aut motus particularum; prout enim aut majores aut minores sunt, acutæ vel obtusæ, vel facilius poros nervorum olfactiorum subeunt, & leuem tremorem seu titillationem eorum fibrillis inferunt, vel econtrà in iis hærent easqve detorquent; sic erunt odores,

aut s^vaves, grati & jucundi, aut f^ctidi, & ingrati,
f^cd^e olentes, acres, & naribus molestissimi. H^aecq^{ue}
adeò sensibilem odorem spirantia necesse est, ut sint
tenuioris, levioris & rarioris texturæ, q^{uo} plures
particulæ simul ab aëre subtiliori permeante abradi,
illoq^{ue} mediante organo olfactus copiosissimè com-
municari possint. Cujus veritas eō confirmatur, q^{uo}d
eō minorem, aut planè nullum percipiamus odorem,
q^{uo}d densioris aut firmioris substantiæ corpus existit.
Hujus naturæ cum Cortex Fraxini sit æq^{ue} ac Peru-
vianus, nemini mirum videatur, ejusmodi sensibilem
odorem in illis sibi relictis non reperiri, multò minus
inde concludendum, nullas i^plis inesse Virtutes. Nam
inodora, s^pepissimè talia saltem judicanda respectu
nostrⁱ, possunt factâ dissolutione odorem exhibere,
prout experientia loquitur in durissimis etiam corpo-
ribus, q^{va}e sponte sua nullum odoris sensum excitant,
accensa tamen vel saltem invicem conficta odorem
haud ante perceptum exhalant, e. gr. Succinum, fer-
rum, silices, vitrum &c. q^{uo}d q^{ue} confirmatur exem-
plô Corticis nostri, q^{vi} inter contundendum & pulve-
risandum satis aromaticô & fragranti odore nares
ferit, q^{vi} q^{ue} dein tacitè evanescit; Item aqua exin-
destillata dum recens est fragrantem spirat odorem,
q^{vi} postea languescit & abit. Confer. Observ. 26. Sam.
Ledelii Ephem. N. C. Dec. 11. Ann. VI.

§. XIV.

Quantum *Sapor* in cognoscendis simplicium viri-
bus valeat, suô jam tempore agnovit *Galenus*, q^{vi} de
Simpl. Medicam. Facultatibus vult, ut Medici gustandi sen-
sum exerceant in saporibus, q^{uemadmodum} coquus,

q^{vi}

qui assidue gustando, plurimumque dentibus mān-
dendo, ita longo usu passionis existentis sensum me-
moriæ diligenter mandat & infigit. Et *libr. de Ocul.*
testatur; ex sapore certo certius dignosci posse virtutes,
qvas possident medicamenta, in medendo huic vel illi
morbo. Ex natura enim gustus constat, qvod sapo-
ris diversitas dependeat à certa dispositione particula-
rum poros lingvæ subeuntium.; Unde seqvitur, ex
gusto nos de figura, magnitudine vel modo afficiendi
particularum, corpus simplex constituentium, certi-
ores redi. Sapores autem diversos singulatim expli-
care, non est hujus loci, sed illos tantum, qvos in
Cortice Fraxini cum Peruviano communes reperimus
exponere conabor. Horum præcipuus deprehen-
ditur *Amarus*: Qui à particulis aculeatis & hamula-
tis parumque inflexis & asperis provenire dicitur.;
meritò ergò his vim, qvam possidere ejusmodi amara
experimur, attribuendam esse, existimo, sicqve pro
diversis, in qvas agunt, corporis nostri partibus vel
solidis aut fluidis, modò incidunt, calefaciunt, exsic-
cant & abstergunt, modò deobstruunt, modò robo-
rant. Alter qui Corticibus inest *Austerus* Sapor voca-
tur sive *adstringens*, uti à *Galeno* appellatur de *Facult. simpl.*
Os & lingvam moderatè constringit, & qvâdam aspe-
ritate coarctat. Mechanismum ejus *Willis de anima bru-*
torum ita exprimit.: Sapor austerus seu adstringens
oritur in corporibus, qvorum particulæ contulis &
hamulis qvamplurimis confertæ, qvæ inter mastican-
dum super sensorium evolutæ, ipsi infiguntur, & fibras
ejus valde contrahunt ac convellunt, non aliter ac si
pecten, qyō lanam carminant variō hinc inde tractu-

supra manus duceretur. Atque pro dispositione harum particularum, austera sive adstringentia, fluida corporis vel refrigerant, resiccat aut constringunt, spiritus exorbitantes cohibent, materiam fluentem incrassant; Corpora ejusmodi austera vel adstringentia solummodo in vegetabilibus & mineralibus reperiuntur, & in animalibus talis Sapor vix occurrit, quoniam ex omnium animalium partibus copiosum $\Theta\alpha.$ urinos. elicere possumus, in substantiis vero Sapore austero praeditis sal fixus terreis particulis implicatus predominatur. Vid. Willis l. c.

§. XV.

Si cum illis faciendum, qui omnes virtutes simplicium, aut *acido*, aut *alkali*, tanquam principiis actiuis deberi, strenue propugnant; profecto & hi Corticem Fraxini cum Peruviano ejusdem indolis esse, unanimi consensu affirmant, nam Virtutem illam febrifugam particulis illis alkalinis adscribunt, quibus utrumque abundare experientia probant, quia comper-tum habent, illas cum acidis configere, quia acidum in febribus peccare presupponunt, sicque a posteriori solum has vires cognitas habent. Ex *Analysi Chymica* haud minus elucet, quam aequales sibi sint hi Cortices. Quando illos separatim vel per descensum more antiquo, vel per retortam ex igne aperto destillamus, nil praeter Ω fetid. sive urinosum ac oleum empyreum. obtinemus; residuum, cum in cineres redigitur, per elixivationem, ac evaporationem Θ fix. dat., quod alkalimum est, uti omnia alia salia fixa ex plantis producta. Inde Chymici concludunt, sal essentiale ejusmodi plantae ad naturam Oxyalis diaphoretici accede-

accedere, cuius autor Angelus Sala existit, adeoque aperientes, diureticas & sudoriferas plantas illas asserunt. Confer. *Tournef. histoire des Plantes des envirens de Paris.* pag. 333. item *L'Emery cours de Chymie* pag. m. 463.

§. XVI.

Porrò in recensendis virtutibus, qvæ utriq; Corticum communes sunt, *Experimenta* nonnulla ut adjiciam restat, qvæ eum in finem à me facta, qvo plenius cuilibet constaret, parum vel prorsus nihil differentiæ his Corticibus intercedere. Infudi binos hos Cortices separatim cum ∇ font pur., dein horum infusa commiscui seqventem in modum. (1) Infusioni Corticis Fraxini affundebam tantillum solut \oplus in aq. statim nigredo apparebat, qvod cum idem mihi tentanti cum infuso Corticis Peruviani eveniebat, meritò unius ejusdemque naturæ hos assero, qvæ in crassis, terrestribus & adstringentibus consistit particulis. (2) Ab affus. solut. \ddagger , intusio Corticis Peruviani paulisper lactescet, subseqente præcipitatione. Idem ferè infuso Corticis Fraxini contigit. (3) Colores cœruleos Tornæ \odot & Syrup violar. ab infusis Corticum haud mutatos vidi, ex qvo planè nullum acidum Corticibus inesse infero, sed potius multas nitrosas particulas. (4) Nihil Θ * detegere potui in Corticum infusis, qvanquam & cum \oplus \ddagger per deliq. & cum ∇ \ddagger illa commiscuerim, utpote qvibus mediantibus statim odore suo fœtidæ in aliis corporibus se prodere solet. (5) Infusum Corticis Peruviani chartam cœruleam in colorem rubicundum non mutavit, qvod tamen *Tournefort de Mat. M. asserit*. Idem erat experimentum cum infuso Cor-

ticis

ticis Fraxini. Ergo nec inde existentia in illis probari potest. (6) Infusionem nucum gallarum ab infuso Corticis Peruviani insigniter lactescere, coagulari atque præcipitari observavi, quod æque mihi in Fraxini Corticis infuso successit. Unde etiam ex hoc utriusque nitrosas particulas conjecturare licet, quas (7) In Substantia Corticis Peruviani omni obversa micantes comprehendendi cum *Harris in Pharmacol. Anti-Empyric.* pag. m. 190. ac multò copiosiores in Cortice nostro conspexi, quod probat ulterius: (8) Si Cortices illi in ignem injiciantur, quod strepitum quasi inter cremandum edant. Denique (9) Tinctura, quæ ex unoquoque Corticum horum ope rectif. elici potest, probat, quod multis resinosis particulis Cortices abundant.

§. XVI.

Si denique essent, qui virtutes Corticis Fraxini specificas ac æquales Peruviano Cortici adhuc vellent impugnare, provocantes ad *Experientiam*, illis tot observationes præstantissimorum in Arte Practicorum opponere possum, quibus experti sunt non solum eosdem sed vel multò certiores successus ex usu nostratis *Qvinquinæ seqvi*, quam ex illo Americanorum. Testis est *Franciscus Piens Tractat. de Febribus* pag. m. 275. qui, præterquam quod ipsi contigerit, adhuc cum Plempii tunc temporis Amstelodam. Practici felicissimi observationes, tum aliorum Hornæ in Hollandia factas allegat, ubi planè absque ullo paroxysmi levamine *Cortex Peruvianus adhibitus fuit*. Quod itidem observasse scribit *Dekkerus, Profess. ac Practic. Lugd. Batav. exercitatisimus, Praceptor noster honoratusimus, Medic. Pract.* pag. 198. Unde & loco Corticis Indici, Fraxini commendat

mendat Corticem in notis ad PRAXIN BARBETTIAN pag. 108.
 Et 112. cuius sententiæ est Cl. Jæques Spons, Medicus ille
 Lugdunensis famigeratissimus in Observat. de Febrib. Et
 Febrifug. Vid. Zodiac. Medico - Gallicus Ann. II. pag. 6. alias
 Cortex Fraxini in Febribus laudatur à Baglivio Prax.
Med. Lib. II. pag. m. 213, Jacobo le Mort. Preceptor quoque
 meo singulariter colendo, in Pharm. Medic. Physic. pag. m. 28.
 Lemery, *Histoire des Drogues simpl.* Ac Excellentissimus
 Dn. Albinus, Preceptor meus nungam sine honoris cultu nomi-
 nandus, ingenuè confessus est, se quam sæpius Cor-
 ticem Fraxini in Febribus olim adhibuisse, nec sine
 felici subsecuto effectu. Vidi quoque ipse non solum
 in Batavia, sed & in Dania, Anglia & Gallia, ab usu hujus
 Corticis in febribus quam promptissimos successus;
 sicque itidem D. Tancred. Robinson, Anglus, jam ante plu-
 res annos in exteris regionibus frequentem ejus in
 febribus usum optimo cum fructu observavit, ut testa-
 tur *Rajus Synop. Method. Stirp. Brit.* Ex eo enim tempore,
 quo Corticis Peruviani usus innotuit, non defuere ex
 celeberrimis Practicis, qui substitutis modo hujus vel
 illius arboris Europæi Corticibus, non minorem illorum
 in curandis Febribus virtutem experti sunt. Sic Jac. Con-
 stantius de Rebegve Medicin. Helvet. Prod. in Praefat. testatur
 multorum experientia comprobatum, Corticem media-
 num Cerasi arboris insigne Febrifugum esse. Lucas Tozzi
 Corticem radicis Persicae arboris pari modo salutarem in
 Febribus observavit, atq[ue] perhibet etiam in publico no-
 socomio D. Virginis M. Anuncciatæ, quod Neapolitano est,
 in locum Kinkinæ Cupressi Corticem suffectum fuisse.
 Vid. ejus *Med. Pract.* p. m. 341. Cum quo consentit Musitanus,
 cui inter arcana fuit pulvis Corticis Cupressi, eodem

modo & eadem Peruviani Corticis quantitate exhibitus, uti pluribus videre licet in *Tr. de febrib. Cap. XXIII. p. m. 63.* Verum licet omnes hi Cortices unius ejusdemq; indolis sint, tanquam amara & adstringentia, mihi tamen cum primis Fraxini Corticem Peruviano substituere cum aliis placuit. Nam apud veteres Practicos iam illius usum reperi, anteqvam de Peruviano Europæis quidqvam constaret; Inter qvos est *Platerus de Curatione febrium*, ubi passim Corticem Fraxini commendat. Ottbo Brunnfels item *Sennertus* ipse aliove, cum qvibus consentire videntur, qvotqvot ex Antiquis æq; ac Recentioribus Corticem Fraxini inter Alexipharmacæ, aut Lieni ac Hepati specificè dicata, recensuere, qvatenus in febribus diuturnis, cum primis in qvar-tana, Splenem cum succo ejus Melancholico atq; Hepar tanquam causas & sedem morbi accusavére, ita ut Alexipharmacæ, Splenetica, vel Hepatica, simul & Febrifuga illis fuerint.

§. XVIII.

Ante verò qvam Cortex hicce in usus medicos venire possit, necesse est ut præparationes qvædam pharmaceuticæ præcedant, qvas tamen antecedere solet sedula circumspectio, verum à falso discernendi, recentem à vetusto, bonum à malo, ac dein recta ad asservandum adoptatio. Seligatur ergo Cortex Fra-xini recens, non vetustus vel cariosus, multò minus qvi tenuioris est substantiæ ex arbore tenerioris æta-tis, qvoniam humores in hoc nondum satis cocti atq; maturi deprehenduntur; sed ille Cortex optimus ha-bendus, qvi ex trunco arboris vetustioris detrahitur, dein saltem qvi ex ejus ramis, at crassioris est sub-stantiæ

stantiæ, in cuius parte externa magnæ & profundæ fissuræ ac sulci conspiciuntur. Atqve hoc satis constat ex analogia Corticum aliarum arborum, v. gr. Qvercus qvi eò maturior magisqve coctus sicqve majorum longè virium, qvò crassior vetustiorqve, uti qvidem vel ipsis coriariis notissima res est, prout *Excellent. Listerus loquitur. Exercit. Medicin. 3. pag. m. 149.* Repurgandus dein Cortex à musco copioso, qvo obductus, ut & à parte ejus externa, usqve ad partem magis compactam ac solidiorem, & si placet à membranâ ejus intimâ qvæ liber vocatur, medianus saltem Cortex desideratur. Hisce peractis, diversimodæ Præticorum experientiæ satisfacere possumus, vel pulverisando eum ad pulveres, pilulas, infusiones, tinturas, extracta elect., &c. vel solummodo incidendo ad incinerationem vel destillationem. Destillatur vero vel recens ex vesica & alembico stanno obductis, vel ex retorta igne aperto aut ex vasis terreis sibi impositis idqve per descensum: Accipiemus sic pro diversis his præparandi modis & Aqvam, & Ω. Ol. Cineres, Sal &c. qvæ omnia ab Autoribus ut magni usus remedia mirum in modum commendantur.

§. XIX.

Qvanquam usus pulveris Jesuitici solummodo in feribus qvartanis illis temporibus erat, qvibus Patres illi in Europa sibi tantum ejus compositionem vendicabant; In seqventibus tamen, cum Medici in ejus cognitionem venirent, ac in naturam Corticis Peruviani sedulò inquirerent, factis qvamplurimis Experimentis, observatum est, illum non tantum omnis generis febres intermitentes sed etiam continuas curare, vid.

Tract. les admirabl. qualit. du Kina Kina; Porrò in *Hydrope*
 insignem ejus virtutem laudat *Sponius*, item in *Podagra*,
Affectionibus Hyster. & *Hypochond.* à *Sydenham* commenda-
 tur; uti & in *Hæmoptoë* & nimio mensium fluxu *Dn.*
Hamilton eum expertus est. His & aliis quamplurimis
 morbis *Cortex Fraxini* magno auxilio est æq; ac ille
Peruvianus, imo nostris in terris præferendus. Usus
 nempe *Kinkinæ Americanorum* magis suspectus nobis
 videri debet, ubi hostis ille endemius, Scorbutum
 puta, grassatur, cum quo adeò ipsi convenit, ut per-
 longum & repetitum sui ipsius usum ægrotos magis
 magisq; illi obnoxios reddat, quemadmodum accura-
 tissimus ille *Sydenham* observavit. Vid. *Oper. ejus Med.*
 pag. m. 320. Ut taceam observationes illas de cura fe-
 brium, *Hydropsis*, &c. cum Peruviano Cortice factas
 hocce in terrarum tractu valde dubias esse, ita ut potius
 ab ejus usu modo *Hydrops*, modo *Scirrhous Hepatis ac-*
Lienis cum cæteris Symptomatibus enatci dicantur.
 Tantum verò abest, ut ejusmodi in obtrectationes vel
 Vulgi vel nonnullorum Medicorum incurrere queat
Kinkina nostra, ut potius cum aliis indigenis præ ejus
 naturæ exoticis magis laudetur, quatenus hæc in
 patrio solo nascens nobis convenientior, ac longo usu
 variis in morbis quam probatissima reperta est, quos
 maximam partem eleganti breviq; hoc poëmate
 comprehendit *Jodocus Harbinus Montensis Enchirid. Medic.*
 pag. m. 120. de *Fraxino*.

Decoctum purgat solvitq; tumore lienem;
 Et sumptum gelidi purgat *Hydropsis aquam*.
 Sic quoq; vel lateris poterit lenire dolores,
 Et scabiem fœda vel removere entis.

Sic & Vipereæ sanari vulnera lingue,
Cedat ut Antidote vis eruculentæ suæ.

§. XX.

Inter morbos universo generi humano communes, nullus universalior aut frequentior deprehenditur quam *Febris*, quod antiquis jam notum fuit, quapropter ut divinitus illam coluere quo minus nocere possit, ac tria templo olim Romæ Febri erectora fuere, unum in Palatio, alterum in area Marianorum monumentorum, tertium in summa parte vici longi, in quibus remedia ægrotorum corporibus adnexa deferebantur, ut *Valerius Maximus* testatur *Lib. II. §. 6.* Atque *Sydenham* rectè calculum instituit, dicens, quod si omnes morbos in tres classes dividamus, Febres absolvant duas tertias, reliqui unam saltem tertiam. Imo nullus fere morbus reperitur, ubi non aliquando accedit febris. Quapropter in recensendis illis morbis, quibus *Cortex noster* medetur, à Febribus initium capimus; ast cum non unius generis illæ sint, respiciendum ad communem distinctionem huc usque receptam, in *Contubues & Intermittentes*.

§. XXI.

In *INTERMITTENTIBUS* usus *Corticis Fraxini* secundum experientiam præstantissimorum Medicorum est insignis, ubi modo simplex solusque modo cum aliis combinatus adhiberi potest. Adjunguntur autem illi à Medicis modo laxantia & purgantia, modo diaphoretica & diuretica aut amara, ut vim ejus febrifugam (uti dicunt) augeant. Sic *Piens &c.* in quartanis exhibet *Cortic. Fraxin.* cum *Cortic. tamarisc.* gent.

capp. cum Ol. ♀ per camp. ac Θbus. Ejus naturæ pulvis est qvem commendat Dekers l. l. c. Rz. Cort. Lign. gvaj. Frax. aa. 3i Extr. rad. gent. angel. ♂ diaph. ΘΩ *. sive ejus flor. ad 3i Myrrh. 3ij. m. F. pulv. ad. 8. dos., qvō testatur multas qvotidianas qvartanasqve imprimis tertianas intermittentes se curasse, atqve hoc interdum primâ unius pulveris exhibitione. Item in Exercitat. suis l. c. describit Extractum ex Cortice fraxini febrifugum, qvō multo felicius usus est in debellandis febribus, qvām cortice peruviano. Sydenham ad recidivas qvartanarum coīmendat Apozema suum, descriptum in opuscul. simul edit. Amstel. 1683. pag. m. 70. Willis in tertianis, postqvam sangvinis crasis emendata apparuit, ut urina sit clarior & minus colorata, etiam somnus qvietior cum fitis & æstus remissione, Corticem Fraxini, tamar. gent. cum sal. eorundem in forma pulveris è vino propinare solitus fuit, atqve sic remedia hæc febrifuga omnium optimè paroxysmum febrilem inhibere posse asserit de febrib. Cap. IV. p. m. 143. Unde Pompejus Sacchius ex Cort. Fraxin. rad. gent. serpent. contraj. fol. cent. min. absinth., additis eorundem extractis salibusqve, æqvalis cum peruviano cortice efficaciæ Febrifugum parari posse sedulò nos admonet.. Vid. ej. Iris febril. Cap. XVII. §. VIII. Joban. Michaëlis commendat Corticem in qvartana cum aliis præscriptum in forma potus. in Prax. Clin. P. I. L. I. p. m. 23. Alii Cortic. fraxin. & peruvian. æ. p. commiscent, cum V rectif. ac cum Ω Θ infund., de qvo in Vino rubro propinant, Zodiac. medico-Gallic. Ann. I. obs. I. Qvibus salia in usu sunt, commendant Θ' fum. & Fraxin. ¶ Θ &c. Vid. Michaël l. c.

§. XXII.

Atque hōs modo citatos Autores in usū **Corticis** fraxini jam præcessere qvam plurimi Practicorum superioris ævi, anteqvam illis de Kinkina qvicqvam innotesceret, id qvod satis cuilibet appetet, qvando horum scripta evolvit. Testis mihi sit *Brunsfels Jatronym. Medic. Simpl. Lib. IV. pag. 23.* ubi decoctum aliquod ex fraxini cortice cum aliis composit. exhibit, tanqvam potenter choleram evacuans nigram & adustam, & idem illud laudatur à *Petro Hispano in Thesaur. pauper. pag. 98.* His accedit *Tuscanus Ducretus in Comment. suo de febribus pag. m. 31.* qvi ejusmodi Apozemata è fraxino composita ad incidendum atqve attenuandum humorem in febribus peccantem laudat. Qvalem methodum etiam sequtus *Platerus de febribus p. 173.* in Apozemate vastæ & prolixæ compositionis, quo materiam febrilem in qvartanis simul præparari & purgari posse confidit. *Sennertus* in qvartanis usus est ▽ composita ex eodem cortice, præprimis qvando ægri etiam forbuto laborabant. *Lib. II. de febr. p. m. 592. § 94.* *Petrus Paschalis* itidem felicem hunc corticis fraxini usum expertus est, qvamobrem in *Praxi sua de Febrib. ad qvar- tanam intermittentem aquam ex illo compositam de- stillandam jubet.*

§. XXIII.

Non omni simplicium symbolizantium miscela in Praxi carere possumus, interim tamen prolixiores ejusmodi compositiones, qvas modo citavimus, ad naufragium tradidere qvam plurimi Practici, unde rectissimè horum morem detestantur *Ludovici pharm. modern. sc̄. appl.. Scribonius Largus de compos. medicam. C. 6.*

Helmont

Helmont. in verbis. Herb. & Lap. Sennert. de Consens. & Dis-
 sens. Cap. 18. Poter. Pharm. Spagir. L. 2. 2. Bobnius de Officio
 Med. dupl. &c. Qvippe in vastis illis compositionibus
 vix ratio dari potest, cur hoc vel illud ingredientium
 adjiciatur, imo varia commixta s̄epissimè vires suas
 invicem obtundunt, aut novas, morbo cui præscribun-
 tur planè contrarias, induunt; dum contra simplicium
 vires integræ manent ac majoris efficaciæ observantur.
 Ut hoc inter alia testatur Cortex Peruvianus, qvi
 idem illud fatum ac reliqua Specifica subiit: nam modo
 cum purgantibus, modo diaphoreticis aut aliis eva-
 cuantibus & alterantibus qvamplurimis commixtus
 in febribus adhibitus fuit; unde & factum est, ut ejus-
 modi compositiones hujus Febrifugi Medicos haud
 rarò spe sua destitutos reliquerint, qvod vel nunquam
 iis accidit, qvi juxta exemplum Hippocratis, Galeni,
 ac aliorum doctissimorum Virorum nullis operacio-
 ribus compositionibus usi sunt in ejus exhibitione.
 Idem illud in Kinkina Europæorum observari debere
 & ratio dictitat & experientia confirmat. Est enim
 sibi relictus satis efficax Febrifugum, & haic ob rem
 usum ejus qvam simplicissimum in Febribus intermitte-
 tibus præprimis commendamus; nec illis qvæ per
 Chymiam inde eliciuntur, adeo tutò in harum cura
 fides habenda, qvatenus per experientiam constat,
 qvod concreta, per texturæ suæ analysin ac partium
 integrantium divulsionem, qvas subeunt, dum igni
 committuntur, virtute sua specifica defraudentur ac
 novam acquirant, qvod egregiè Helmontius exprimit
 Arbor. Vitæ pag. m. 798. his verbis: Ratum ergo, qvod,
 qvansvis multa destillando fiant acutiora, adeoq; magis activa:
 tamen

tamen eo ipso recedant & alienentur à genuina seminum proprietate. Quia ignis est mors artificialis, quæ si aperta flamma fiat, contingit per seminum & Archei extinctionem. Mors enim naturalis rerum presupponit lassationem seminum. Mors autem artificialis, quæ non fit per flammæ consumptionem, separat quidem volatilia à fixis, cum dissolutione & morte vite ultime concreti, &c. Et paulò infra. Proinde non licet destillatorum vires ponderare è concreto unde dimanant; nec credere licet, quod etsi vires rerum non sint abolitæ, non extinctæ aut per ignem planè defunctæ, ideo rerum pristinas Virtutes per adustionem non innovatas. Qvale quid Idem veritatis impetu adactus profitebatur de potestate medicam. Hoc unum saltem memorabo, quod chymica potius artis, quam nature, vi nativa agerent, eo quod illorum initia per ignem parta & immutata essent, &c. Non minus Tincturæ atque Extracto nostri Corticis in Intermittentibus diffidemus, qvoniam vi illa insigni adstrictoria non pollent.

§. XXIV.

Exhibendus igitur Cortex hic in FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS solummodo in substantia, neque tamen absq; prægresso examine circumstantiarum in Ægris, est enim quasi gladius in manu Furibundi, & dependet à Medente, an eum adhibere velit in commodum aut Ægri damnum. Atque cum duplex Indicatio in Cura Intermittentium nascatur, prior, ut materia viscide seu Febrilis ulterior proventus impediatur, posterior, ut illa, quæ juxta Venarum latera defertur, attenuetur, incidatur atque educatur, admodum prudenter agere debet Medicus, ne nimis subitò & violenter vasa laxa constringat, ac viscidum ibi excernendum retineatur in sangvine intra ipsa vasa, sic enim variæ possent oriri obstructiones

D

visce-

viscerum, sed successivè & paulatim secretio hujus
 viscidi est sistenda, nempè qvando illius parva qvantitas
 est in sangvine intra vasa, seu qvando Paroxysmus
 cessavit; tunc enim ab ingesto hoc Cortice via occlu-
 ditur, per qvam novus Lentor egrediebatur, h. e. ces-
 sat illa copiosa secretio, ita ut non adsit sufficiens qvantitas
 viscidi, qvæ ad Capillaria Vasa hærendo Febrem
 producere possit, vel ad minimum non in tantâ copiâ,
 ut ingravescere possit; continuandum qvoqve in usu
 hujus medicamenti, qvatenuis vasa illa excretoria nimis
 laxa post primam Corticis exhibitionem qvidem con-
 stricta sunt, postea tamen iterum relaxantur & eadem
 redit Febris, vel mox, vel etiam post tres qvatuorve
 septimanas. Dein ut alteri Indicationi satisfiat, sibi
 soli Kinkina nostras relinqvenda in operando, nullisq
 purgantibus, aut aliis evacuantibus, vel alterantibus
 adjungenda, non enim præscire possumus, qvamnam
 viam Natura sibi eligere velit ad materiam peccan-
 tem evacuandam; & postqvam à particulis hujus Cor-
 ticis amaris atqve nitrosis sat sufficienterqve attenua-
 tus, incisus, vel præparatus fuit Lentor ille seu materia
 febrilis, facile exitum inveniet vel per vomitum, urinam,
 sudores, insensibilem transpirationem auctam,
 diarrhæam vel etiam per salivam: qvalem Ptyalismum
 criticum videre contigit Excellentissimo *Dn. Albino*,
Præceptor meo non sine veneratione à me nominando, imò
 majorem ab usu Corticis Peruviani, qvam unqvam
 & excitare potest. Interim tamen benè notandum,
 qvod Kinkina nostras non statim in corpus ingerenda,
 qvando alvus nimis pertinaciter est occlusa, sed vel
 laxante, vel clystere, vel suppositoriis simpliciiss. ante
 sui

sui officii admonenda. Vitanda sunt purgantia neqve interponenda, vel statim post ejus usum exhibenda, ne vasa irritando iterum cogamus, ut copiosius viscidum exprimant, sicqve Febris redeat. Deniqve & in sufficienti qvantitate dandum est hocce medicamentum, ne idem hīc nobis eveniat, qvod exercitatissimis aliās Practicis in Peruviani Corticis usu accidit, de qvibus certò constat, qvod plus in defectu qvam excessu pec- caverint. Qvamobrem finitō paroxysmō exhiberi potest 3^o, qvod vel singulis trihoriis, vel aliis inter- vallis pro Ægri beneplacito reiteretur, modo intra duos paroxysmos 3ij assumserit, idqve continuandum usqve dum Æger consumserit 3ī; & ut certior qvis esse possit de effectu, ne redeat Febris, diebus inse- quentibus adhuc detur 3ī, ut, si fortè relaxata sint ite- rum vasa, denuò constringantur. Et qvamvis con- tingere possit, ut supra determinatam dosin ascendere qvandoq; qvis cogatur, ordinariē tamen vix majori qvantitate opus erit. Idqve vel in Pulvere, vel in forma Electuarii cum conserva rosar. vel syrup. cin- nam. &c. aut si Æger respuat electuaria, pulvis dari potest in Infuso cum Vino rubro, vel in Pillulas redigi potest, cum mucilagine tragacanth. &c. qvæ manipu- latim qvam commodissimè devorari possunt. Qvod si Ægri planè medicamenta aversentur aut Ore assu- mere neqveant, imitandus *Dn. Helvetius* in methodo sua, qva usus est in Febrium curatione. Vid. ej. tract.
Methode pour guerir les Fievres sans rien prendre par la bouche.
it. Bagliviis in Praxi sua. Sicq; Clysmata ex Qvinqvina nostrate parari atqve injici possunt: qvanqvam haud negandum, s̄epius hanc Helvetii methodum ab Aliis

incassum tentatam fuisse: neq; facile concipi potest, qvomodo tale Clyisma agere possit, nam fomes in Ventriculo & Intestinis tenuibus est, in qvæ verò nullum clyisma ob valvulam Bauhini obstantem adscendere potest, qvod & Galenus olim docuit s. method. medend. C. II. sic enim inquit: *qvod per sedem injicitur, ad ea qvæ vicina sunt Ventriculo subire nequit.* & 13. ibid. C. 17. *qvæ per sedem infusa sunt, ea omnino ad jejunum usq; ascendere nequeunt, imo si admodum nitaris fortasse tenuerunt tantum contingent.*

§. XXV.

In FEBRIBUS CONTINUIS curandis itidem felici cum effectu exhibita fuit Kinkina nostras, idq; præprimis ob particulas ejus amaras nitrosæq; indolis, qvas copiosè possidet; unde Virtus ejus mirifica refrigerandi in æstu febrili profluit, temperat nimirum acredinem nimiam sangvinis atq; bilis, sedat sitim, atq; refolvendo sangvinem crassum viscidumq; in minimis vasis stagnantem, Inflammationes tollit, illumq; pristinæ fluiditati restituit, floridumq; iterum reddit. Sicq; mitigantur dolores, qvi Febres præcipue malignas comitari solent. In ejusmodi autem continuis Cortex hic febrifugus in substantia non usurpandus, qvatenus Ventriculus jamjam ab æstu debilitatus, nimis ab illo gravaretur, sed tutius ejus Decoctum vel Tinctura cum copioso liqido convenienti hic in usum venient. Simon Pauli mirum in modum commendat Thè Cortic. Fraxin. præprimis in Variolis & Morbillis, qvod in Aqva Card-Bened. cum tantillo Syrup granat. vel rub. idæ. dilutum pond. V. ad X. gr. propinat. Atq; Clarissimus Vir pluris hoc facit quam Lap. Bezoar. item cum C.C. phil. ppt. vel rament. unicor. Grönlandic.

landic. mixtum, qvod potentissimè sudorem movere
 scribit *Quadr. Botan. Cl. 3. pag. 310.* Sic etiam jam olim
 teste *Platero l. c. Crato* usum Sal. Fraxin. in Febribus ma-
 lignis commendavit ad gr. X. XII. cum conserv. ros.
 vel ∇ citrei Mali aliisqve. Unde Kinkina nostras
 Aqvam Theriacalem Bezoardicam Raymundi Minde-
 reri ingreditur, de qua Autor testatur, qvod valenter
 sudorem peñlat, omnemque materiam venenatam &
 malignitatem à centro ad corporis peripheriam ex-
 pellens disjiciat, atqve suâ subtilitate undiqve corpus
 pervadat & putredines arcendo Peste correptos adju-
 vet, Febribus malignis aduersetur, &c. Datur ejus
 potio cum aliquo Syrupo acidiusc. v. gr. citr., limon.
 vel acetos., & extat ejus operosa ac vasta compositio in
 Dispensat. August. item apud Musitan l. s. c. Qui sim-
 plicissimas amant compositiones utuntur ∇ destillata
 è Cortice Fraxin. & rad. bardan. major. qvæ est *Pla-*
teri l. c. Cujus dosis ad 3iij.; vel loco ∇ sumantur +.
 vin. & rutac. p. æq. indeqve ∇ eliciatur, qvam pro-
 pines cum tantillo Ol. sive $\Omega \Delta$ aeid. ad gratam acidi-
 tatem; easdem profectò nisi majores vires obtinet,
 qvam omnia Theriacalia operofæ compositionis, est
 nempè diaphoreticum remedium insigne, uti testatur
 ipse ille Mindererus *Neu-verbessert. Krieges-Arznei/*
pag. 134. Et *Baubin. Hist. Pl.* scribit, se observasse in im-
 mani illâ Peste Lugdunensi, ubi tunc temporis Medi-
 cus ordinarius Urbis stipendio detinebatur, qvod non-
 nulli usi sint Cortice Fraxini ad sudoriferas potiones
 pro Peste correptis. Laudatur quoqve ad hunc usum
 à *Pistorio de Pest. pag. 54.* & *B. nostro Parente Consit. de Pest.*
pag. 170. Item Liqvorem è Fraxini Cort. & Lign., dum

accenduntur, stillantem contra Pestem admodum utiliter bibi asserit Sarazen. *de Pest. præcav.* Michaëlis l. s. c. Corticem cum Ligno ad suffumigandum in Peste valdè proficuum esse testatur. Vim enim summam Fraxino adversus Venena inesse antiquitus creditum fuit.

§. XXVI.

Usus Kinkinæ nostratis internus porrò esse potest in omnibus morbis, ubi Lympha vel ipsa massa sanguinea vitiata existit, ut sunt Chronicæ, e. gr. Cachexia, Scorbutus, Hydrops, Malum Hypochondr. Catar-rhus, Lues Venerea, &c. Et apud Autores tam veteres qvām recentiores reperimus, qvām egregiè in ejusmodi affectibus curandis vires suas præstiterit ille Cortex. In CACHEXIA ab Evacuationibus consuetis suppressis & obstructis ob fluida corporis nimis tenacia, crassa vel viscida ortâ, felici cum successu adhibetur, particulæ enim ejus amaricantes ac nitrosæ incidunt, attenuant, resolvunt atqve aperiunt, qvicqvad liberum fluidorum circulum impedit; stimulant insuper non-nihil fibras Vasorum totius corporis ad copiosiorem sui contractionem, undè excretio vasorum augetur & Evacuationes naturales ad pristinum rediguntur. Huic scopo satisfaciunt Decoctum, Infusumqve Corticis illius cum ∇ simpl. font. vel destillat. appropriat. aut vino generos.; item paretur Lixivium ex ejus cineribus & exhibeatur; aut admisceantur pro diversis circumstantiis modo purgantia, modo diuretica & sudorifera sic dicta, v. gr. Rx. Cort. & Lign. Fraxin. q. v. coqvat. cum liqvirit., qvod satis gratum sudoriferum. Si qvis majores è Cortice nostro compositiones desiderat, adeat Platerum in Praxi sua, Tract. III. pag. 116. & 120.

alios-

aliisque. Valet hic quoque Tinet. Corticis illius tam simpl. quam cum aliis mixta, ut Tinet. & aper. cum succ. pom. Cinamom. Caryophyll. &c. Item parari possunt pulveres cachectici ad normam illorum quos apud Autores ubique reperimus. Mayerne Cerevisias medicatas in Dieta Cachecticorum valde extollit, qualis etiam est Cortic. Frax. ejusque Ligno additis fol. agrim. meliss. fl. sambuc., caryophyl. nuc. mosch. &c. parari posset pro potu ordinario.

§. XXVII.

In SCORBUTO, ubi sangvis crassus cum reliquis humani corporis laticibus, adeoque ad circulandum ineptus reperitur, & hinc inde varias parit obstrunctiones, ob easdem, quae in Cachexia exerit, virtutes laudandus erit Cortex noster, unde Salom. Alberti illum inter ἐκφερτικὰ καὶ ἐκκαθαριζόμενα τὸν πόρον jure meritoque recenset, h. e. uti ipse illud explicat de scorbuto p. m. 487. inter ea præsidia, quae vim habent expediendi meatus farctos atque præpeditos ab humore limoso, duro, tenaci, tam ipsis Visceribus familiaria, quam Humoribus accommodata. Non minori laude celebratur à Charleton, & quidem in tali sangvinis crudi dispositione, quae à copiosi & in fixitatis statu adhuc manentis Salis præpotentia exsurgit, vid. de Scorbute. p. m. 76. & 188. Imò si acidum in morbo illo proteo solum inculpandum esset, Cortex noster æque illi ac aliis Scorbuti causis opponi potest ad illas corrigendas & tollendas. Cilibet enim notum, quales virtutes in infringendis spinulis illis acidorum pungentibus possideant, quae adeo sensibili amaritudine prædita sunt. Modus vero Corticem exhibendi vel simplex esse potest, ut antea, vel compo-

compositus pro uniuscujusq; beneplacito. Ejusmodi
 compositionum varias Formulas ab Autoribus com-
 mendatas habemus, ut est Aqva Scorbatica Qverce-
 tani, *Pharm. C.* 7. Sennerti de *Scorbut.* pag. m. 175. Mich.
 Doringii *ibid.* 178. Polychresta Roflincii, qvam descr. Joh.
Ludov. Hanneman. in *Prod. Lex. Medic.* p. 77., Spirituosa
 Timæi à Guldenklee *Cas. Medicin.* 24. L. 3., Decoctum
 contra Scorbutum Bald. Ronsæi, *Com. de Scorbut.* C. VIII.
 p. m. 255., Timæi à Guldenkl. *Epist. & Consil.* L. 3. Ep. 28.
 Joh. Michaël in *App. formul. Cap. I.*, Infusum P. Hermann.
Cynosur. M. M. l. c. Ettmulleri *Prax. de Scorb.* pag. m. 401.
 Timæi à Güld. *Cas. med. l. c.* Vinum antiscorbuticum
 Muralti descriptum à Reusner. *de Scorbut. Exercit.* VII. p. 485.
 Spiritus antiscorbutic9 Dekkeri Præceptoris mei deve-
 nerandi *in aureis suis notis ad Prax. Barbett.* L. IV. C. 3. p. 157.
 laudatus. Tinctura contra Scorbutum Joh. WERNERI
L. 2. Therap. Extractum M. MARTIN. *de Scorbut.* pag. m.
 675. & 684. Elixir antiscorb. D. MICHAEL. *descriptum à*
Bierling. Advers. curios. in *App.* pag. m. 74. Pulvis contra
 Scorbutum SENNERTI. L. C. pag. 181. Tragea scorbutica
 M. MARTINI L. C. Splenetica Qvercet. *Pharm. Dogmat.*
Rest. p. 140. Ex qvibus pulveribus etiam Rotulæ & Mor-
 fuli pro intentione Medentis formari possunt additis
 addendis. De his verò in formam solidiorem è Qvin-
 qvina nostrate concinnatis remediis antiscorbuticis
 notandum cum *Charleton.*, ut iis in ventriculum inge-
 stis paulò post superingerantur & alia consistentiæ
 liqvidioris; qvæ ipsis vehiculo sint, viresqve jam in
 actum erupturas, in sanguinem usqve expeditius fe-
 rant & per universum corpus diffundant. Sicqve
 utriusqve generis medicamenta ter qvaterve de die
 repeten-

repetenda sunt, manè scilicet, sub meridie & crepusculo, attamen cujuslibet constitutioni & ætati ad amissim convenientia.

§. XXVIII.

Convenit Cortex hic etiam in MELANCHOLIA & HYPOCHONDRIACA AFFECTIONE ob amaritatem suam blandam, terreis & pinguedinosis particulis involutam, undè Ventriculo amicè habetur, nempè laxatas Fibras sua stypticitate contrahit, ac sale suo nitroso putrefactionem retardat, acidos in Ventriculo succos figit & edulcorat, limosos & viscosos Hepatis, Lienis, aliorumque viscerum vasa obstruentes humores abstergit, ac superfluam, qvâ relaxantur Fibræ, humiditatem absumit & exsiccat; Undè qvam maximè usum ejus in substantia hic commendamus ad 3^{lb}, qvod manè & vesperi ad aliquot septimanas erit continuandum. Alii ad acidum in Hypochondriacis corrigendum sal lixiv. è Cortice nostro per incinerat. parat. mirabiliter efferrunt. Ubi tamen sedulò cavendum, optimè monente *Sylvio*, ne magnum in sanguine excitemus conflictum, tunc enim spasmi & convulsiones enormes gignuntur: adeoqve si qvis lixivium tale adhibere velit, primo præmittat sic dicta Absorbentia, qvibus si jam acida concentrata sunt, tutò illud lixivium assumi potest, & qvidem prius adhuc temperandum & volat., V. vel oleosis, ut Ol. amygdal. olivar. terebinth. &c. prout judicamus hæc vel illa Ol. nostro scopo magis esse convenientia. Cæterum illius usus erit ut in §. de Cachexia & Scorbuto dictum, qvatenus Indicationes horum morborum unæ eademque ferè sunt. Huc spectat Potio è Qvinquina nostrate compos. ad Melancholiain præ-

parand. Michaëlis *in App. formul. p. 604.* Decoctum Spleneticum Ejusd. *ibid.* Item laudatur illud Grulingio tanquam Specificum in his morbis. Essentia ejus Splenet descript. *in Florileg. Hipp. Galen. Chym. nov. p. XXI. C. 1.* Pari modo ab illo commendatur Extractum Splen. Posselli qvod æqvè ac alia Cortex dictus ingreditur ob vires suas egregias. l. m. c. Sic Timaeus à Guldenklee Θ illo lixiv. quām felicissimè usus est in Elixir suo Splenet. teste Eod. *Ibid.* Non minorem laudem meretur Infusum seqvens. **R2.** CORT. FRAXIN. Tamarisc. Capp. ʒ³ rad. Scorzon. Cichor. ʒ³ herb. Melisf. m. ij Scolop. Fumar. aa. mj. grossō mod. incid. ♂ conqvaſſent. indantur sacculo ♂ cum vino Rhenan. infund. Vid. à Guldenklee Epist. XXXVI. Qvercetanus itidem Corticem nostrum adhibet in Extracto suo Splenetico majori l. f. c. p. 206. qvodq; à complurimis mirificè extollitur; & qvæ ejusmodi sunt composit. plures Practicorum. Externum verò pro Lienofis si qvis desideret auxilium, Ol. per descens. è Cortice ejusq;ve Ligno destillatum desiderio ejus satisfaciet. Confer. Betruccius. L. I. Med. Pract. tr. 3. S. 3: J. Sylvius. Bartholinus, aliq;ve.

§. XXIX.

Duplici modo Qvinq;ina nostras HYSTERICIS prodiffe potest. Vel extra & post Paroxysm. vel etiam in ipso Paroxysmo. Extra Paroxysmum ejus usus est præstans- tissimus, nam causas hujus morbi tam continent, quam antecedentes tollere valet, qvæ cum vix ac ne vix qvidem ab illis differant; qvarum effectus est Melancholia Hypochondriaca, seqvitur, qvod secundum easdem, qvibus pollet, Virtutes in recensito affectu etiam hic mederi possit, adeoque modus exhibendi idem est. Vid. interim de horum affectuum consensu & affinitate.

Higbmorus,

Highmorus, Sydenham, Albinus in Coll. MSC. alioque. In Paroxysmo exhibeatur Ol. illud empyr. & Ω urinos. qvæ per destill. è Corticibus eliciuntur & illa vel naribus, loco graveolentium & memphitim spirantium conservatorum, admoveantur, vel internè cum vehiculo conveniente in Os infundantur, qvod satis vellicans & stimulans est remedium, ut spiritus aliorum determinentur, sicq; spasmi cedant; aut fiat qvædam compositio addit. essent. castor. — &c. e. gr. Rx. menth. matric. fl. samb. aa. ʒi Effent. castor. ʒi ʒi Ω urin. CORT. FRAX. ʒi Ol. ejusd. distill. ʒi laud. opiat. gr. i. syrup. cort. aurant. q. f. m. f. Electuar. qvod deterrimi saporis est, & tale qvid semper intendere solemus. In defectu horum præparat. & iis in locis ubi Fraxinus copiosè provenit Rx. fulig. camin. except. è combustis Cortic. & ejus Ligno ad ʒi in ovo sorbili. Vid. Burnetus Thesaur. Med. Pract. Tom. II. p. m. 136. aut hujus fuliginis aliqvid carbonibus iniciatur & narib⁹ Hystericarum attrahendum porrigatur, item fumus è Corticibus incensis per infundibulum Utero excipi jubeatur, vis enim hujus fumi resolvens est insignis, ut testatur Tournef. Histoire des Plantes l. c.*

§. XXX.

Insignis Corticis nostri usus est in HYDROPE ob vim toties deprædicatam attenuandi & deobstruendi, adeò ut tutò illi confidere queamus, ubi Lymphæ in Vesiculis adiposis Malpighianis stagnanti restituenda est circulatio, aut Sangvis cachecticus corrigendus. Necq; vis adstrictoria, qvæ illi attribuitur, virtuti aperiendi qvicqvam derogat, Fibræ enim vasorum à copioso latice relaxatae sunt, & Reticulum Vasculosum vim sese contrahendi, constringendi, sicq; superfluum expellendi

lendi perdidit, undē ibi hæret ejusque fit stagnatio.
 Qapropter etiam *Willis* adstringentium usum qvam
 maximē commendat, utpote qvæ Sangvinis cras in seu
 mixtionem, ne fusione nimia penitus dissolvatur, præ-
 servant: modus utendi idem erit atqve in *Cachexia*.
 Cui addimus, qvod in dosi paulò largiori dari debeat
 hocce Antihydropicum, ne particulæ ejus activæ aquis
 immersæ obruantur, priusqvam diffusæ vires suas
 exerere possint; qvare illa potius præparata feligenda,
 qvæ haustu pleniori totum corpus permeare possunt,
 cujusmodi sunt Decocta, Infusa &c. qvib⁹ mediantibus
 vel purgare, vel diaphoresin aut diuresin largiorem ex-
 citare potest Medicus pro varietate circumstantiarum.
 Hunc in finem commendat *Hermann.* l. c. *Apozem.* seq.
Rz. *Cortic.* *Fraxin.* ʒiij coq. in *Vin.* rub. t̄biiij f. *Apoz.* cum qvo
 capiat Æger ad singulas vices Θ *Frax.* gr. viij l. ʒ⁹ qvod
 quidem est qvam simplicissimum, attamen valdē efficax.
 Alias addi solent *Cort.* *tamarisc.* capp. *sambuc.* inter.
frangul., rad. *helen.* *rhabar.* *polypod.* *armor.* summit
absynth. cent. min., fol. *agrim.* bacc. *juniper.* Qualia
 Decocta sunt *Qvercetani Pharm.* restit. C. 8. &c. *Hydra-*
gogum Freitagii in Auror. *Medic.* *Plateri* qvod commendat
 ad *Viscerum imbecillitatem corrigendam* illorumqve
 infaretus & obstrukiones solvendas *Prax. suæ Tr. III.*
 p. m. 318. item *Vinum martial.* compos. *Cnœfelli.* Vid.
Bonnett. *Medic.* *Septentr.* collat. p. m. 726. Ad diuresin pro-
 movendam efficacissima habentur in *Hydrope*, qvæ ex
 salibus lixiviosis Plantarum fiunt. Vid. *Sydenham.* *de Hydrop.* p. m. 704. qui commendat seq. **Rz.** *Cin.* *Cortic.*
 & *Lign.* *Fraxin.* t̄bi *Vini rhenan.* t̄bIV. fol. *absynth.* pug. j.
infund. *frigid.* ut f. *Lixiv.* & colat. ʒIV dentur ter in die. Cui
 adsti-

adstipulantur *Burnetus* l. c. Tom. II. p. 126. aliiqve. Locum etiam ejusmodi Lixivium habet inter topica, vel illi incoquantur lenia adstringentia, ut Cort. qvercus, serpill. thym. fol. laur. rorism., sabin., sambuc., bryon, &c. qvo embrocationes cum spongiis & linteis ebriis fiant.

§. XXXI.

Laudatur pariter Fraxini Cortex in LUE VENEREA à Petr. *Foresto insigni Batavorum Practico*, qvatenus humores peccantes sudorem eliciendo præparat, corpusq; fluidum reddit, meatus reserat, crassa, glutinosa viscidaque incidit, atterit, extenuat atqve abstergit, *obs. de Lue* ♀. L. XXXII. p. m. 71. Et *Cæsalpinus* suô jam tempore ejus virtutes æqvales adeò decantato Specifico morbi Neapolitani (*Guajacum puta*) observatas fuisse testatur *de Plant. Lib. II. Cap. 13.* Undè à Joh. *Agricol. in Chirurg. parv. verum Germanorum Guajacum appellatur*, cui majores longè vires tribuit, qvam illi, qvod ex India affertur; Item *Lobelius in Observ. p. 545.* inquit, se pro certô scire, Lue gallicâ affectos Fraxino curatos esse. Qvibus adstipulantur *Hoffmann. Sciagr. morbor. contagios. p. 55.* Nicolas de *Blegny, L'art de guerir les maladies Venerienn. p. 71.* Paul. Herm. loc. cit. item *Aug. Ferrius de Pudendagr. L. I. p. 19.* Lud. Mercat. oper. T. II. p. 638. *Bartholin. Dissert. V. de Pharm. Danic. p. m. 219.* aliiqve plures. Effectus verò Corticis nostri indebelando hoc morbō venereō maximam partem expetandi sunt ab ejus Decocto, qvod omnium præparatorum commodissimum est ad humorum attenuacionem & resolutionem per insensibilem halitum aut sudorem, utpote in qvo omnium hactenus sic dictorum Specificorum morbi Venerei vel Corticum, Lignor. vel Radicum exoticorum vis consistit. Ejusmodi Deco-

Etum est qvod commendat. *Jac. Auberti Progymn. in Fernel.*
Lib. de abdit. morb. causis. exerc. 42. **Rz.** CORTIC. FRAXIN.
Itb Rad. chamaeleon. alb: s. carlin. 3ij aq. font. **Itb** IX. ferueant
 ad VI. part. remanent. Dof. man. & Vesp. 3VI. Egerque ad
 sudorem disponatur. Loco Carlin. commode sumi
 potest Rad. Petasitid. vel Lapp. maj. Præterea addi
 possunt, si lubet, rad. smilac. asper. *Lign. Fraxin.* Juniper.
 cum baccis, *Qvercus & similia*, qvæ idem tam potenter,
 tam facile, tam tutò & tam jucundè præstabunt, qvam
 illa quadriga exoticorum medicamentorum, v. gr. rad.
 chin. falsæparill. lign. guajac. & saffrafr. qvæ subindè suis
 ex parte viribus privata & exoleta, prout rectissimè
 admonet *Franc. Deleboë Sylvius Prax. Med. App. Tr. III. p. 676.*
 Doctissimus ille Vir maximoperè etiam in hoc morbo
 Medicinam facientibus Θia Lixivia ad corrigendam
 aciditatem peccantem commendat, additqve sibi per
 experientiam constare, qvod illa æqvè conducant ac
 Radices, Cortices, Ligna & præsertim aromatica
 Decocta. Sicqve usus Lixivii ex ciner. Cortic. nostr.
 non minores præstabit effectus hoc in casu, qvam qvi in
 præcedentibus à me ostensi fuere. Externè ad morbi
 hujus dolores & ulcera commendatur Ol. Fraxin. à
Jacob. Sylvio, Annot. in Lib. III. Mesue de Antidotis.

§. XXXII.

Ex hactenus dictis facile apparet, qvomodo Medi-
 camentum nostrum incidens conduceat etiam in CA-
 TARRHIS, qvibus intelligimus Obstructiones in
 variis corporis partibus, ortas ab injuriis externis, qvæ
 Humores incrassant ac interdum plus minusve pertur-
 batos commiscent, undè, prout Catarrhi nunc hanc,
 nunc illam partem occupant, aliam atqve aliam præ
 se ferunt

se ferunt speciem, aliamque sortiuntur denominatio-
nem, juxta tritum illud :

Si fluit ad pectus, dicatur Rheuma Catarrhus

Ad Fauces Bronchus, ad narres esto Coryza.

Humores ejusmodi inspissatos aptè resolvere possumus
vel Decoct., vel Infus. è Cortice nostratis Qvinqvinæ
ejuscq; Ligno, item Tinctura ejus cum leni infus. Cortic.
instar Thee hic plurimum conductit, qvæ omnia & in
Tussis molestia multum levaminis afferre solent, qvando
ab iisdem causis dependet; itidem in *Tussi* acri & salsa
egregias obtinent vires Trochisci, aut Essent. sicca facta
cum Sacchar. & Extract. Corticis Fraxini. In *Aurium*
doloribus ab Inflammatione catarrhali, qvo Obstrucções
referentur & perturbata humorum mixtio resti-
tuatur, commendatur Succus Fraxini à *Q. Seren. Sam-*
monico de Medic. p. 6.

*Quum sevis teneras dolor alte sauiat Aures,
Fraxinea in flammis fundit quem Talea Succum
Instilles.*

Idem ille Succus ad *Surditatem* valdè efficax, mixtus
nimirum cum pari pondere Succi Cyclam, Scyllæ &
Rutæ ac non nihil decoctus, si eundo cubitum ponatur
in Aurem sanam, ita ut Æger dormiat supra sanam, & si
in utraqve sit Surditas, ponatur in Aure minus affecta
uti refert *ex Matthiol. Epit. de pl. Job. Baub. H. P. L. VIII.* ;
Alii ∇. Fraxin. cum suo Θe mixtam commendant ut
Quercetan. Phar. Dogm. rest. C. 7. Horstius Pharm. Cathol.
Item Decoctum Corticis, Seminis vel Foliorum suffitu
mederi *Surditati* vult *Lobelius*. His qvocq; collactea tradit
Platerus Prax. tr. 1. de Audit. laſione, p. m. 304. Si à Catarrho
coagulatur *Lympha* in articulationibus, oritur *Arthritis*
sicq; ve

Ticque rectissimè à Melch. Sebizio vocatur Affectus Rheumaticus *Man. Medic. Pract.* p. 2037. qui eandem medelam à Qvinqvina nostrate expetit, ut reliqvæ species recensitæ, id qvod confirmat *Welscbius*, qui semper cum successu illum Corticem in Podagra exhibuit. Vid. *Observat. ejus Medic. Hecatost. II. Obs. XVI.* Externè Oleum Fraxinum laudatur à Rogerio ad Arthritidem frigidam reprehendam, emollit enim & digerit. Vid. *Ant. Snebergerus Tigurinus, Medicam. Euporist. contra Arthritid.* p. 56. ∇m destillatam cum linteis applicatam auxiliari Podagricis prohibet *Pancov. Herb. portatil. l. c.*

§. XXXIII.

Vires Corticis in NEPHRITIDE à Calculo renum qvod attinet, subscriendum *Glaubero* existimo, qui illas quam perfectissimè in Fraxino contineri sibi haud deceptus persvasit in *Pharm. Spagir.* p. 3. id qvod à qvamplurimiis Practicis experientia confirmatum legim⁹. Sic *Joh. Baub.* testatur l. c. se Corticis hujus Fraxini vires nephritis in multis expertum esse, seqventem in modum si exhibeatur. Rx. CORT. FRAXIN. in taleol. concis. M. ij affund. vini alb. ℥iiij, coqve ad tertias, per linteum colat. juris Cyathus in quo tenuisf. SERRATURÆ FRAXIN. ʒj infus. fuerit, bibatur manè calidus 8. diebus continuis & diu præservabit, sunt verba Autoris. Clarissimus *Rajus* l. c. Semen Fraxini mirum in modum adversus hunc morbum extollit: in Calculo, inquit, comminuendo omne tulit punctum. Inter simplicissima præparata hic conducunt ∇ destillata, quam unicè & singulari remedio prodesse *Trajus* prohibet, Tinctura, Sal à *Barbett.* commendatus p.m. 207. & Oleum, qvod à *Glaubero* omnib⁹ adeò decantatis Lithontripticis præfertur, cum primis si cum Saccharo inde fit Essentia seu

seu Elæosacchar., qvô permultos, Calculo pluribus annis laborantes, feliciter restituit, ut post mortem in illorum cadaveribus, neqve in Renibus, neq; in Vesica. illum Calculi vestigium visum fuerit, cum tamen ante hujus medicamenti usum quotidiè Calculus excretus cum ingentibus doloribus fuisset. Vid. Aut. l. c. p. 23. Qvi magis composita amant, & vires aliis ejusdem indolis simplicibus augere cupiunt, consulant Autores. Ejusmodi compositum est Potio seq. ab Excellentissimo Wedelio in Disput. qvad. de Ægro Nephritic. p. m. 17. commendata. Rx. Rad. s. aperient. maj. aa. 3ij. summ. Virg. O. m. j. sem. saxifrag. viol. petrosel. aa. 3ij. CORTICUM FRAXIN. 3j. Lign. Nephrit. 3f. Coq. in s. q. ▽ font. Colat. 3v. add. Syrup. fragor. 3i. Elixir Nephrit. 3i. M. qvæ & in Paroxysmo & extra illum commode usurpari potest. Ligno Nephriticō, Lignum nostrum Fraxini substituendum jubent Baubinus, Cæsalpinus & Bartholinus l. c. Ex Oleosis compositis destillatis contra Calculum omnibus præfertur Ol. illud Bernb. G. Penoti à Portu S. Marie, ita ut semper in secretis habitum sit ob singulares suas Virtutes, uti testatur D. Beckhern, in der Hauff-Apotheke vom Wachholz-der / p. m. 431. Est autem secretum illud seqvens, prout ab Autore ipso in Tract. de vera præpar. & usu Medicam. Chym. describitur. Rx. CORTICIS FRAXIN. 1lbj Sem. Junip. 1lbij Terebinth. clar. 1lbijB. conterend. terantur & cum Terebinth. misceantur, & in 1lb XII. ▽ & in Vase bene obtutato ad putrefaciendum simul ponantur per tres menses, peract. temp. destill. s. a. exstillabit Ol. præstantissimum, quale simile pro tali re non reperitur dos. gutt. 9. ad 12. comminuit lapidem & expellit, cum Vino albo. Sunt verba Autoris. Idem illud

F

Oleum

Oleum insigne est, qvod commendat *Plater⁹ Prax. s. tr. ii.*
pag. m. 568. suppressô Autoris nomine, doses tantum
 ingredientium mutavit, addiditqve mellis aliquantulum,
 qvos dein sequti cit. *Beckberus, Conradus Kunrat.*
Med. destillat. pag. m. 614. & *Mich. Ettmüll. Prax. s. de Calculo*
pag. m. 185. Quidam Pocula è Ligno Fraxini parant
 sibi pollicentes, si qvis ejusmodi pocula assiduè exhau-
 riatur, eum mira in calculosis affectibus auxilia percipi-
 pere posse. Vid. *Dominici Leonis Ars medend. pag. 809.*
Baubinus aliqve.

§. XXXIV.

Usus hujus Corticis porrò esse potest in omnis
 generis FLUXIONIBUS fluidorum Corporis humani pr.
 Nat., ubi Vasa excretoria relaxata aut erosa iterum
 roboranda, & pressio fluidorum ad partem affectam
 imminuenda, aliam qvandam nempè excretionem
 augendo. Alteri Indicationi satisfacit Cortex noster
 vi sua Diuresin & Diaphoresin promovendi; Alteri
 verò sufficiunt particulæ, qvæ ipsi insunt terrestres &
 adstringentes, undè in substantia optimus ejus exhib-
 bendi modus cum Vino aliqvo rubro adstringente, aut
 coqvatur Cortex in ∇. chalybeata, cujusmodi deco-
 etum non bibi tantum, sed & externè parti affectæ lin-
 teis applicari potest. Sic e. gr. *Job. Baubinus* Corticem
Fraxin. in Vino rubro coquere jubet & utiliter *Dysen-*
tericorum ventres illo soveri scribit l. c. *Samuel Ledelius* in
Ephem. N. C. Dec. II. Ann. VI. Obs. 26. testatur, se haud raro
 observasse, grassante Dysenteria, qvod ∇ destillata
Lign. Fraxin. multis propinata singulari utilitate pro-
 fuerit. Huc spectat curatio illa magnetica Dysente-
 riæ

riæ per Lign. Fraxin. cuius meminit *Musitanus* Irutin.
Med. Libr. III. Cap. XIV. pag. 616. **R². LIGNUM FRAXINI**,
intis e illud excrementis cruentis, ut undique cruore & sanie
obducatur, tunc infige illud in frustum lardi, & absqve extra-
ctione in eo fixum maneat, donec æger convalescat, sunt
verba Autoris. Idem commendat *Frid. Hoffman* meth.
medend. *Lib. I. C. 19.* Ad *Hæmorrhoides* curandas Ol. Fra-
xini miré prodesse scribit *Galenus*, *Lib. de remed. ad He-
morrh.* pag. 15. *Dn. Vitalis de Furno in Ventris fluxu* laudat
Cortic. & Folia Fraxin. cum aniso & Fungis qvi Fra-
xin. adnasci solent. Alias in sistendis omnis generis
Hæmorrhagiis Lignum cum Cortice adhibitum profuit:
Qvemadmodum illud *Borelli* exemplò qvôdam confir-
mat *Obs. Medic. 78. Cent. III.* Et singularis est casus, qvi
enarratus legitur in *Ettmüller Schrod. dilucid. Part. I. S. II.*
Edit. 4to. Fuit, inquit, aliquando *Virgo* hic locorum quæ adeò
continuis laboravit *Hæmorrhagiis Narium*, ut & Capilli tan-
dem defluerent, nec ullum remedium reperiri potuerit huic malo
sufficiens; quamprimum autem **LIGNUM FRAXINI** applica-
tum fuit naribus, fluxus extemplo remisit; Eandemqve
vim & Foliis inesse ibi quoque legitur. Denique ad
Sangvinem sistendum Cauterii potentialis vices sup-
plet *Cinis* ex *Qvinquina* nostrate, illoqve minus do-
lorosus existit, si nodulo exceptus & aqua vel saliva
madefactus parti imponatur, vid. *Lob. in Observ. suis*
p. 545, *Sebizi Specul. Med. Pract. p. 1930*, *Baubinus* aliisque.

§. XXXV.

VERMIBUS infestum esse hunc Corticem à priori
unusquisque videt, quatenus plerumque amara sunt
Anthelmintica, tantoque majori encomio ille dignus,

qvantò magis non tantum vitiosos humores corrigit,
& putredini resistit, utpote in qvâ Vermes foveri, &
qvasi nidulô qvôdam stabulari certô certius est, sed
etiam hostilium illorum animatorum acervum fugat,
enecat & exterminat. Qvod à posteriori confirmatum legimus in *J. C. Claudi. Empyr. ration. Job. Craton.*
& *Krafftheim Conf. 8. Lib. 5.* Usus ergò illius est varius
vel in substantiâ. Rz. *Pulu. Cort. 38.* Et cum paucâ mellis
exhibe; vel in Decocto cum lacte, vino & aqua mulsa.
Adduntur & laxantia aut purgantia ad Vermes jam
enecatos educendum, ejusmodi Apozema solutivum
est, qvod ordinavit *Gwil. Fabr. Hildan. Cent. 2. Observ. 72.*
Rz. *Rad. dictamn. filicis, polypod. quercent. aa. 3ij. Cort. rad.*
capp. tamarisc. FRAXIN. aa. 3Vi. Herb. chamaedr. chamaepyt.
Absinth. salv. aa. M' j. cent. min. p. 1. sem. cartham 3i. anis.
portul. contr. verm. aa. 3j. corallin. pulv. fol. senn. Orient. Et.
Cheb. aa. 3ij. decoq. in V font. q. s. ad 3X. in colat. dissol.
Syrup. de Cichor. cum Rhabarb. fl. persic. aa. 3ib Oxymel. squil.
lit. 3i. M. f. Apoz. ad plures doses singul. matutin. horis.
Alii ad externos usus Corticem nostrum pulverisat.
incoqvunt Ol. Oliv. Amygdal. Lini &c. idqve umbili-
lico illinunt. Qvod ipsum oleum etiam internè si
ægrotantes id ferre velint, cum vehiculo qvôdam
convenienti qvam utilissimè propinari potest. Cui
lubet, alia quoqve adjicere potest juxta exemplar Ol.
contra Lumbricos *Michaël. Scoti.* Rz. *Abrot. 3ij absinth.*
gingib. cort. lanceol. aa. 3i Stachad. 3ij polij, sabin. aa. 3ij
CORTIC. Et SEM. FRAXIN. 3ib aloës 3i terant. omnia Et di-
mittant. per 8. dies in Ol. com. huius Et + huius. octavo vero die
bulliant lento igne, donec herba regent. sint bene cocta: post
dimit.

dimit. infrigidari, colla & add. aloë indic. & benè pulverif.
musc. & serv. qvò inungere jubet regionem Epigastr.
vel si Ægri illud non recusant, ad 3' ipfis porrigit bi-
bendum cum Vino albo, vid. Job. Mich. Savonarola Pract.
Canonic. pag. m. 792. Sic & aliæ plures compositiones
pro circumstantiis rerum è Cortice hoc, huic solùm
scopo inservientes, facillimè parari possunt.

§. XXXVI.

Legimus apud Antiquos Fraxinum Marti sacram
fuisse, ita ut in Templis ipsi dicatis nullus ignis,
nisi è Fraxini Ligno, accensus sit. Et certè Fraxino
haud rarò opus est, ubi qvis THALAMUM ingressus se
Virum præstare cupidus est; imò Mars ipse anteqvam
Venerem visitet, Fraxini fumo delestatur; adeò in-
signe Aphrodisiacum arbor istæc habetur. Cumpri-
mis Semen ejus inter stimulantia illa interna recense-
tur, qvæ caliditate suâ Semen turgidius spirituosi-
usqve reddunt, ut pruritum indè sive titillationem
fentiant Vasa ejus excretoria, sicq; Seminis exitum pro-
curent. Quem in finem laudatur à Matthiolo in Epitom.
si cum Pistaciis, Nucleis Pineis & Saccharo comed-
itur. Huc spectant variæ illæ Compositiones, qvas
Semen Fraxini ingreditur, qvæqve ab Autoribus ad
Venerem langvidam resuscitandam mirum in modum
extolluntur. Ejus farinæ est Electuar. Diasatyr. Nicolai,
qvod in Officinis prostat. Aliud exhibet Platerus Prax.
tr. I. p. 649. Pulverem è Fraxino compositum ad hunc
scopum commendat Idem ille ibid. seqventem. Rz. SEM.
FRAXINI, bulb. lin. anis. aa. 3i. Sem. eruc. 3ii. Sem. pastinac.
nap. rapban. cepar. porri, sinap. urtic. nasturt. asparag. aa. 3i
piper.

piper. ȝib zingib. galang. caryophill. macer. aa. ȝ eroci ȝ ras.
ebor. ȝ priap. Cerv. vel Tauri, vel Ericji, carn. Stincor. aa. ȝij
f. Pulv. subtiliss. ad ȝij exhibendus. Atque ejusmodi pul-
veres pro uniuscujusque Medici arbitrio mirum in
modum variari possunt. Non minores opes Fœminæ,
qvando ob sterilitatem ignominiam & contemptum
perferre coguntur, sibi à Fraxino polliceri possunt,
pravam enim corporis dispositionem (si solū incul-
panda) corrigit, adeò ut qvæ antea nimis tardæ pi-
græqve ad Thalami ludos inveniebantur, jam æqvis
viribus dimicare possint. Et singulare est remedium
qvod commendatur à C. Caldera de Heredia. Prompt. facil.
parabil. pag. 303. qvem videsis.

§. XXXVII.

Denique & usus Corticis externus haud exiguus est
in omnibus morbis, ubi refrigerandi, resolvendi, siccandi,
abstergendi, constringendi aut consolidandi necessitas urget.
Qapropter Matthiolus teste Baub. aquam destillat. per
descens. ablato Ol., miscere cum ▽ violarum, eaque
Faciem saepius abluere injungit illis, qui Pompilio non
multum absimiles sunt, de quo elegans Mureti exstat
Epigramma :

Pompilio est nasus cubitos tres longus & unum
Latus, & hunc murus cingit utrinque triplex
Ad sunt & turre, Bacchus quas condidit ipse
Et minio tintas usque rubore dedit, &c.

Cuti excoriatae cicatricem inducere & Morphæam albam solvere
& denigrare Ol. Fraxin. perhibet Rogerius. Vid. Gesne-
rus de remed. secret. pag. 726. A Cinere Corticis Scabiem

Lepram

Lepramque sanari *Dioscorides* scribit, si nemipè cum aqua
 permixtus illinatur. Quem imitatus esse videtur *Plate-*
rus, dum *Prax. tr. II. p. 880.* ejus Lixivium ad hunc usum
 commendat, & jubet ut corpus, (postquam in balneo
 sicco benè sudavit) circa finem illo abluatur & etiam
 extra illud additâ *Calc. viv.* quò efficacius fiat, uti *Li-*
xiv. illud dictum Tonsorum. Sunt etiam *Præticorum*
 quidam, qui alia siccantia varia cum Cortice nostro
 ejusq; cineribus commiscent, variasque inde Formu-
 las componunt. E. gr. *Creta*, *Ceruss*. *Lytharg.* *Or. O.*
 & præcip. *Bol.* *Gyps.* *ust.* *Thus.* &c. *In consolidandis vulne-*
ribus mirificas Cortex possidet Virtutes, si recens Vul-
 neri superligetur, quod ita constringit, ut nulla futurâ
 opus sit, inquit *Camer. in Matthiol.* Sic quoq; ▽ destil-
 lata in omnibus vulneribus externè prodest, si nemipè
Vulnus primùm hac aqua lavatur, dein linteum mun-
 dum aquâ imbutum ter de die imponitur, vel quò aër
 Vulneribus adeò infestus arceatur, humectetur tan-
 tum linteolum usque dum imbibat humorem & Vul-
 neri adducat, juxta *Observ. Sam. Ledelii in Ephemer. N. C.*
L. c. Imò ferè specificum esse remedium Cortex internè
 propinatus creditur, omnia antidota excedens, in Vul-
 neribus ab animalibus venenatis infictis. Vel cum
 Folia Fraxini eorumque succus cum Vino aut bibun-
 tur, aut imponuntur, quemadmodum testantur *Diosco-*
rides, *Mattiol.* *Amat.* *Lusitan.* *Curat.* *Med. I.* *Cent. I.* *Paulus*
Ægineta *Libr. VII.* *de Arte medend.* pag. m. 389. *Vitalis de*
Furno de remed. *Cap. 172.* *Veteranus ille Pomeranorum Præcti-*
cus famigeratissimus FRANCISCUS JOEL Tom. 5. l. 5. S. 4. ubi
 Decoctum Corticis Fraxini cum Vino, calidè impo-
 situm.

sum Vulneribus, valdè prædicat.. Inde est, qvod
Columella de Re Rust. Libr. 6. Cap. 16. maximoperè Ruri-
 colis commendatam vult Fraxinum, est enim, inquit,
 præsens remedium, ubi Bos à Vipera ictus fuit, si con-
 ceras tenera cacumina ad it. V. & totidem Vini & 2.
 Sextar Ol., expressumque succum faucibus infundas,
 itemq; cacumina ejusdem arboris cum sale trita læsæ
 parti imponas. Huc spectat Lignum Fraxini certò
 die & constellatione, item à certis saltem Hominibus
 cæsum; sed cum multa Hyperbolica & superstitiona
 hinc concurrant, præstat tacere qvām malè loqui, quo
 cum consentire videtur Vir ille Experientissimus,
GVIL. FABRIC. HILDANUS, qvi, cum interrogatus esset,
 qvid de illo Ligno Sympathetico sentiret, nihil re-
 spondit. Interim de illo si qvis curiosa legere de-
 sideret, adeat *Helmontii Opera german.* Idiom. conscripta,
 pag. 1071. *Hohberg. Kunst-Buch / N. 37. annex. Georgic. Cu-*
rrios. Tom. II. qvi satis prolixè de hoc agit.. Item *Ett-*
müller Schröder. dilucidat.. Aliosque plures.
 Et hæc impræsentiarum sufficient.

S. D. G.



Corrigenda & Addenda.

Pag. 3. lin. ult. leg. il a. Pag. 4. lin. 1. qvelle. Pag. 6.
lin. 2. contrayerv. Pag. 10. lin. ult. Brasilianô. Pag. 15.
lin. 3. environs, & lin. 25. Calc. viv. Pag. 16. lin. penult.
adde Exercit. Pag. 17. lin. 28. lege Annunciatae. Pag. 35.
in fin. §. adjic. Vid. quoq; Hippocrates, Lib. de Natur. Mulie-
bri vers. 99. Ceteris erroribus B. L. ignoscet.





